



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

De S. Paulo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

De S. Paulo.

Micheæ 5. *Et tu domus Esfrata non es minima inter Principes Juda.* Ambr. Epist. 18. *Esfrata domus furorem videns, hoc enim habet interpretatio istius nominis, &c. Quia in Esfrata & peperit Rachel Benjamin specie superiorem, mysterio posteriorem, Paulum scilicet qui antequam generaretur non minimos Matri prestitit dolores, &c. Et in paucioribus est, quia pauci sunt qui intrant in domum panis (Bethleem) per angustam viam. De Juda quoque tribu est Bethleem, ut docet lib. Judic. 19. Cum dolore Matris natus est Paulus quia persecutus Ecclesiam, & de se potest dicere quod ille: 1. Reg. 4. *Ego sum qui veni de pralio, qui de acie fugi hodie.* Greg. in 1. Reg. lib. 3. c. 1. *Quasi in pralio se fuisse memorabat, qui dicebat Gal. 1. Audivistis conversationem meam in Judaismo. Heli Sacerdos, vetus corruit, arca cecidit, &c. Militavit contra Ecclesiam, Ananias non credidit illi quod fugisset, in die fugit, quia lux illum de celo circumfulsit, uterque Filius mortuus. Sicut Heli Sacerdoti accidit, id est uterque ordo Sacerdotis. Plaga magna in Israël facta quia rot damnantur, arca capta, quia vetera Sacramenta exinanita, Cecidit Heli de sella quia extolli desinit de doctrina, cadit juxta ostium, quia Joan 10 Christus dicit. *Ego sum ostium, cecidit Saulus quando Christus dixit, Saule, Saule, quid me persequeris? Persequebatur Ecclesiam & inprimis Stephanum.* Greg. l. c. *Lapidantium Procomarthyrem vestimenta servabat, & velut omnium manibus lapidabat qui expeditos ad lapidandum omnes reddebat. Conversio autem B. Apost. Pauli facta est ad proverbium peccatoris. Audiat unusquisque peccator B. Pauli conversionem & non desperet de criminum multitudine. Sed jam videamus qualis surrexerit.* Greg. hom. 21. in Ezech. *Vultis fidem videre. Philipp. 1. Mihi vivere Christus est & mori lucrum. Vultis vitam cognoscere***

gnoscere? Gal. 6. *Mihi mundus crucifixus est & ego mundo. Vultis patientiam audire? 1. Cor. 4. Usque in hanc horam instabiles sumus, &c. Vultis benignitatem cognoscere? 2. Cor. 12. Ego autem libentissime impendar & superimpendar pro animabus vestris. Inde proveniebat quod de illo Greg. Moral. 30. c. 8. Predicando Paulus vult omnia simul docere, amando vult omnes simul videre, quia & in carne permanendo vult omnibus simul vivere, & de carne transiundo per sacrificium fidei vult omnibus prodesse.*

In Visitatione B. M. Virg.

Abit S. Virgo cum festinatione, & quidem ut S. Bonav. Vespere ab Angelo salutata, statim mane sequenti processit, varii affectus in prægnantibus excitantur propter fetum quem gestant, idem in B. Virgine videtur accessisse, Filius in opere festinus Isai 26. *Ascendit Dominus super Cherubim, & volavit super pennas ventorum. Pl. Exultavit sicut gygas ad currendam viam suam.* Sicut Medicus dum ad ægrum periculosum properat, sicut 4. Reg. 4. missus Giezi ab Elisæo ad resuscitandum mortuum. Ita modò ut quamprimum succurrat Joanni & liberec ab originali peccato, excitat in Matre festinationem. Origen. *Festinabat Christus qui in utero illius erat, sanctificare Joannem.* Non cessavit in S. Virgine hoc desiderium succurrendi peccatoribus. Est *Aurora consurgens* quæ solem præit, & simul *pulebra ut Luna.* Quæ noctu lucet etiam bestiis. Hinc discamus quàm fædum sit peccatum, cum ita properet, ut ab eo Joannem eripiat, certè cum Rex festinat ad aliquam domum privatam & quidem pedes, debet esse causa gravissima.

In Fe-